



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus IX. De Apostatis & Reiterantibus Baptisma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus
Baptisma.

SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Apostasia.
2. 3. 4. 5. Quae sint poena Apostatarum à Fide: à Religione: ab Ordine: & reiterantium Baptisma.

Apostasia, seu desertio statûs per publicam professionem semel suscepti, est triplex.

1. à Fide, seu *Perfidia*, quando quis totaliter recedit à Fide Christiana, amplectendo Iudaismum, Paganismum, vel Atheismum: differt ab Hæretico, quòd iste retineat fidem in Christum & solùm in uno vel pluribus articulis differt ab Ecclesia Catholica.
2. à Religione, seu *Inobedientia* quando quis post emissa vota Religiosa sine licentia priùs obtentâ recedit à Religione sine animo redeundi, vel cum animo non redeundi, si deinde dimiserit habitum, sive, ut habet committitur, non dimiserit habitum: differt talis à Fugitivo, quia iste, sine licentia recedens, habet animum redeundi; si tamen diutiùs, v. g. per 3. vel 4. annos ita vagaretur, pro foro externo præsumeretur Apostata. Si autem quis sub prætextu nullius votorum recedens recto tramite tenderet Romam, sua ibi gravamina propositurus, ibi audiretur. P. Schmalzgrueber *h. r. n. 16.* Sed cavendum temerarius Romam recursus.
3. Ab Ordine, &

mirum

mirum Clericali, seu *Irregularitatis*, quando quis in majoribus Ordinibus constitutus dimisso habitu & tonsura Clericali ad statum laicalem, vel etiam Matrimoniale, propria temeritate attentat transire. *Reiterans baptismum*, quod est altera pars Rubricæ, dicitur, qui vel seipsum, jam semel validè baptizatum, denuo baptizari permittit, vel alium jam semel validè baptizatum rebaptizat: qui hoc faciunt; vocantur *Anabaptista*.

Dico 1. Pœnæ Apostatarum à Fide, uti & fautorum &c. sunt eadem omnes, quas de Jure in Hæreticos diximus suprâ statutas esse; quia Hæreticis æquiparantur, imò specie substantiali ab iis non differunt, cum *magis & minus non mutant speciem*.

Dico 2. Pœnæ Apostatarum à Religione sunt 3
 1. Excommunicatio latæ sententiæ, si habitum dimiserunt. *c. 2. Ne Clerici vel Monachi in 6. P. Wiestner & alii.* In Societate JESU est excommunicatio latæ sententiæ, etsi non dimiserint habitum, & vota solum simplicia emiserint. *Const. Ascendente Domino Gregor. XIII. 2.* Suspendio ab exercitio Ordinum in Apostasia susceptorum. *c. fin. h. t.* 3. Inhabilitas ad omnia officia & beneficia, ac suspensio ab omni ministerio, & amissio privilegiorum Ordinis. *Constit. Postquam relata, Pii IV. & Trid. s. 25. c. 19. de Regular.* quod insuper *c. 4.* permittit aliis pœnis arbitrariis & secundum Statuta Ordinis puniri Apostatas, præsertim duram incarcerationem statuit. per *c. 5. h. t.* & praxis observat. Dein *c. 7. de off. Ord. c. ult. de Regular.* indulgetur quoque, ut Superiores Religiosi tam fugitivos quàm Apostatas suos ubique

locorum persequi, & deprehensos capere possint, invocato etiam brachio sæculari. Si hujusmodi dimisso habitu vagentur in terris Hæreticorum, S. Pœnitentiaria Romana, cui ad hunc finem offerendæ sunt preces, factô verbô cum Pontifice, per Rescriptum sæpius indulget, ut ad quamcumque Religionem, & quandoque etiam ad non claustralem transire valeant, ut nimirum alliciantur ad reditum ad Ecclesiam. *Monacella in Append. p. 1. fol. 342. n. 4.*

- 4 Dico 3. Pœnæ Apostatarum ab Ordine sunt 1. Amissio privilegii Canonis & Fori saltem postriam monitionem. *c. 1. h. t. c. 27. de privil. c. 27. & 45. de Sent. Excomm.* 2. Excommunicatio ferendæ sententiæ. per *c. 3. h. t.* & latæ, si attemptent contrahere Matrimonium. *Clem. un. de Consecr.* 3. Infamia, ac istam subsequens irregularitas. Modis omnibus, etiam per durum carcerem, edegendi sunt ad reassumendum habitum. *c. 5. h. t.*
- 5 Dico 4. Pœnæ reiterantium baptisma sunt 1. Irregularitas, tam rebaptizantis, quam rebaptizari se permittentis. *c. 2. eod.* Depositio, si Clericus, excommunicatio ferendæ, si Laicus fuerit per *can. 118. d. 4. de Consecr.* 3. De Jure Civili ultimum supplicium, vel exilium &c. *l. 2. c. de Sanct. Baptis.* nam nec Anabaptistæ, nec Apostata à Fide, in Romano Imperio sunt tolerati.

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Parricidium.

2. Quæ